

SCRIPTA

Numéro Scripta : 222

Auteur(s) : Guillaume, chevalier, Moulins-la-Marche (seigneur)

Bénéficiaire(s) : Chartres, Saint-Père (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1063, 13 février-1066, 13 février]

Action juridique : restitution

Langue du texte : latin

Analyse

Voir Fauroux n° 225.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Guérard Benjamin, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Père de Chartres*, Paris, Crapelet (Collection de documents inédits sur l'histoire de France ; 1ère série. Histoire politique), 1840, 2 vol., t. II, n° 41, p. 548.

b. Fauroux Marie, *Recueil des actes des ducs de Normandie de 911 à 1066*, Caen, Caron (MSAN ; 36), 1961, n°225, p. 432-434.

Texte établi d'après a

In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Willelmus miles, filius Gauterii, qui castrum teneo de Molendinis, notum esse volo cunctis fidelibus christianis tam presentibus quam futuris, quia adierunt meam presentiam Carnotenses monachi sancti Petri cenobii, ut eis concederem, pro anima comitis ac filiorum ejus et pro mea salute, quasdam res quas, tempore Guimundi antecessoris mei, tenuerant, quasque amiserant quadam Normannie perturbatione. Libentissime quoque quod petierunt annui, ex his videlicet rebus quas recuperavi, hoc est : decimam omnium nummorum de castro supradicto, id est de censu, de theloneo, de vicaria, de banno ; immo de omni redditu qui de castro exit. Dedi etiam feriam Planchis Ville, que est in nativitate alme Marie, VIO idus septembbris, et theloneum totius ville. Precarias etiam et omnes consuetudines remisi, et adhuc pactus sum eis, ex his que recuperatus sum per clementiam domini mei Willelmi comitis, ea scilicet que monstrare potuerunt se habuisse tempore supradicti Guimundi ; hoc est, decimam de Terciaco, tam de terra quam de farinariis seu de piscatoriis. Et ut hec donatio firma permaneat, obnixe precor dominum meum Willelum comitem, pro remedio anime sue et pro meo amore, ut manumissione corroboret, suisque principibus corroborandam tradat ; ego vero hanc donationem uxori mee necnon et filiis meis annuere faciam. Si quis vero hanc donationis cartam quolibet modo infringere voluerit, comiti mille libras argenti componat, et dehinc jaculo maledictionis dampnatus pereat cum proditore Juda. Fiat. Fiat. Placuit etiam subscribere nomina illorum qui hanc donationem viderunt poni super altare sancti Petri Carnotensis, ab ipso videlicet Willelmo milite, idus februarii, die dominica : Guascelinus, filius Richardi ; Richardus, filius Gulberti ; Ebrardus de Rive, Radulfus nepos ; Willelmus, filius Milonis ; Christianus de Asperis, Radulfus de Clino Campo ; Odo Rufus, de Planchis. Iste quidem, eodem die, dedit sancto Petro ecclesiam sancti Laurentii, que est sita juxta ripam fluminis Risli, et XIII acras terre juxta ecclesiam et tres alias ultra fluvium, acramque unam prati, cum decima sui molendini et aratorum suorum ; et, assensu ejus, tres acras emerunt monachi a Hamone suo milite. † Ipse Odo firmavit manu sua ista cruce cum conjugé sua Osburgi, et iterum dedit sancte Marie X acras terre ; IIII or ad unum pomerium, et VI ad murges. Hujus rei sunt testes : Serannus, suus prepositus ; Teboldus Munnarius ; Corbelinus pelliparius, et Malgerius, filius ejus, et Restaldus meditarius,

filius ejus ; Radulfus, Corbellus de Planchis ; Giraldus, et Turoldus, noster minister de molendinis. †††. Willelmus, Willelmus filius, Robertus filius ; Albereda, mater eorum, fecerunt tres cruces manibus suis, et annuerunt hanc donationem carte sancto Petro Carnotensis cenobii, et miserunt super altare sancte Marie de Planchis. Et viderunt Guascelinus, filius Richardi ; Herbertus de Melicurtis et Radulfus, frater suus ; Frotlandus, Willelmus presbiter, Gauterius Bulum.